

7+8/85

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXXV



RVMOR VARIVS



TOMUS 8

FASC. 54

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI in aedibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia Fr. 14.--
In Germania DM 20.--
In Austria öS 140.--
In ceteris
Europae terris Fr. 20.--
In terris trans
maria sitis US 18.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TVRICENSIS unter dem Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz Fr. 14.--
Deutschland DM 20.--
Oesterreich öS 140.--
Übriges Europa Fr. 20.--
Debersee US 18.--

Einzelne Probenummern können gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Est proverbium vobis iamdudum notum: "Rumor Varius cuique legenti aliquid novi fert." Iam audio vos clamantes: "Quid ergo hic novus fasciculus mihi novi fert?" En, cari amici, suum cuique, ut spero. Continet enim symbolam Florindi di Monaco, quae praesentibus diebus aestivis maxime apta est: Titulo "Bene nudam pellem!" inscribitur. Quid porro? Aenigma magnum, cui propter magnitudinem melius nomen "aenigma maximum" dederim. Quo aenigmate recte soluto, quod amicus noster Danielis Weissmann vobis solvendum proposuit, nobis misso praemium forma libri vel libelli accipere poteritis. Ergo quid cunctamini? Inite certamen, recte solvere conemini, solutiones inventas mittatis domui editoriae Rumoris Varii! Soli audentes e certamine victores abibunt!

Ceterum et multa alia lectu digna invenietis: Narrationem e.g. ab amica Rumori Vario multos annos fidem praestante Ursula Schwenk scriptam, qua nobis nonnulla de AKADE, quam scholam frequentans olim examina maturitatis praeparabat fortunata, narrat.

Ne praeteream novas narrationes AMICI, quas sub titulo "Facete lepideque dicta" publicatas legetis neque novam seriem Graecorum philosophorum sententiarum, quam consocius operis noster Danielis Weissmann Bernensis publicandam misit!

Quid dicam de celeberrimo Certamine Capitolino, quod ab Instituto Romanis Studiis Provehendis omnibus prosae Latinae orationis Latinorumque carminum studiosis hominibus hoc anno proponitur? Vertite paginas, cognoscetis condiciones certaminis ineundi, praemia, quibus victores e certamine ornabuntur. Restat, ut vos, cari amici Rumoris Varii, certaminis quam plurimi participes sitis!

Praeterea multa alia hoc fasciculo continentur, de quibus

spatium, quo eorum mentionem faciam, non superest. Ipsi videbitis, ipsi legetis...

Sin autem omnibus symbolis inclusis lectis censebitis Rumorem Varium praesentem vobis taedii plenum fuisse: Mittite nobis ea, quae Latine ipsi composuistis, quae, ut publicentur, digniora censetis: Omni symbola publicanda sibi missa gaudebit Rumor Varius! Valete!

Dabam Turici die XI^o mensis Augusti anni MCMLXXXVⁱ.

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann



Graecorum philosophorum sententiae

Cum quis Aristoteli gratularetur, quod Alexandrum regem Macedoniae discipulum haberet, ille: "Gratulare Alexandro", ait, "qui Aristotelem praeceptorem habeat."

Interrogatus, quis sit beatus, Thales respondit: "Qui corpore sanus, a fortuna adiutus, anima egregie eruditus."

Aristippo aliquis iniuriam intulerat; postea eum fugiebat et eius occursum vitabat. Aliquando, cum forte tamen ei occurreret, Aristippus: "Non te me fugere oportet", inquit, "sed me te, quia improbus es."

E Xenocrate philosopho, qui aliquando maledicentium hominum sermoni tacens interesset, aliquis quaesivit, cur solus taceret. Tum Xenocrates: "Quia non tacuisse aliquando me paeniteat, tacuisse numquam."

Rogatus, quomodo civitates optime regerentur, Plato dixit: "Cum philosophi regentes erunt aut regentes philosophiae studebunt."

"Stultitiae est a deis postulare", dixit Epicurus, "quae quisque ipse satis sibi parare potest."

Oratore Anaximene disputante Diogenes pisce salso, quem sursum tenuit, animos audientium ab oratore in se vertit. Anaximene irascente Diogenes: "Pisculus uno obolo", ait, "Anaximenis disputationi finem imponere suffecit."

Socrates, cum interrogaretur, quid sit bonum utilissimum, dixit: "Amicus fidus."

"Lucem semel tantum aspiciamus", monet Epicurus. "Bis nasci non potest fieri. In aeternum non iam existemus. Tu autem, cui ne crastini diei quidem potestas sit, tamen iterum iterumque iucundi occasionem differs. Differendo autem vita transcurrit et quisque nostrum otium non assecutus moritur."

Iniuria ab aliquo affectus Pittacus, cum occasio ulciscendi ei daretur, illum dimisit dicens: "Veniam melior ultione. Illa mitis mentis est, haec ferae."

Iuvenem videns, qui orabat deos, ut sapientiam et bonam mentem sibi darent, Theophrastus philosophus: "Non orantibus", inquit, "sapientia et bona mens contingit, sed discentibus."

Cum Diogenes ab homine moroso aliquid postulavisset, ille respondit: "Dabo, si mihi persuaseris." Tum Diogenes: "Si tibi persuadere possem, suasissem, ut te suspenderes."

"Non res ipsae homines sollicitant, sed eorum opiniones de rebus", dixit Epictetus. "Cum difficultates, perturbationes vel sollicitudines nobis incidunt, causas illorum non in alios transferemus, sed in nos ipsos, id est in nostras opiniones de rebus."

Anacharsis talos iaciens et ab aliquo vituperatus, quod luderet, dixit: "Ut arcus semper intenti dirumpuntur, relaxati autem idonei ad vitae usus sunt, sic cogitatio quoque in iisdem perpetuo haerens fatigatur."

Empedocles alicui dicenti: "Nullum sapientem invenire possum" respondit: "Non mirum, oportet enim sapientem inquirentem ipsum sapientem esse."

Daniel Weissmann

CERTAMEN CAPITOLINVM XXXVII


INSTITVTVM Romanis studiis provehendis, auspiciis et impensas adiuuantibus Administro bonis cultus humani civilisque servandis et Romanae civitatis Magistro, ad novum Capitolinum certamen prosae Latinae orationis Latino- rumque carminum omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimo- rum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium maiestate facundiaque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, in basi victoris nomen atque annum diemque certaminis praeferens. Huic sigillo sescenta denario- rum Italicorum milia adiecta sunt.

Ceteri petitores, qui digni habiti sint, laude ornabuntur. Ex iis autem qui victori proximus de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, qui in antica parte Capitoli imaginem, in aversa litterati viri nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri trecenta milia denariorum Italicorum adiecta sunt.

Scripta quae praemio ornabun- tur typis excudenda, si visum erit, curabit Institutum Roma- nis studiis provehendis, ac proinde post annum tantum integrum erit auctoribus eadem in lucem edere.

Institutum Romanis studiis provehendis ad hoc prosae Latinae orationis certamen etiam scholarum discipulos adulescentesque omnes in Universitatibus studio deditos



invitat. Ex iis qui primus de agone discesserit, honorifica ornabitur mentione. Cui centum milia quoque denariorum Italicorum adiungentur.

Exitum certaminis, cum diei Urbis natalis sollemnia celebrabuntur, in aedibus Capitolinis Romanae civitatis Magister renuntiabit.

Leges certaminis

I) Fictis fabellis, commentariolis historicis, disputa- tionibus philologis, denique omni prosae eloquentiae genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum Certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata, ne prius in lucem edita, ne alio praemio ornata neve laude, neve ex alio sermone sint conversa. Petitores omnes licebit certamen adire uno libello.

Doctorum virorum scripta ne mille et quingentis verbis sint breviora; adulescentium autem scripta ne mille breviora sint verbis.

Poetarum carmina ne minus quinquaginta versibus constent, quolibet metro exaratis, de qualibet re conscriptis.

Praemium vel laus non illis deferetur qui e vita excesserunt.

II) Tria libellorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue exarata vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mittant scripto- res aemuli ad Istituto Nazionale di Studi Romani - Ufficio Latino - Piazza dei Cavalieri di Malta 2 - I-00153 Roma pridie Kal. Febr. proximi anni.

Studiosorum hominum exemplaria non auctoris tamen distincta sint nomine ne in integimento quidem, quo conclusa sunt, sed sententia munita, quae eadem inscripta sit scidulae obsignatae, nomen domiciliumque scriptoris exhibenti. Discipuli vero libellis nomina domiciliaque subscribant ac tabellam adiciant, in qua scholae vel Universitatis ordinis Praeses fidem faciat

discipulum, qui ad certamen sit descensurus, vere scholae illius vel Universitatis ordinis auditorem esse.

III) Tres viri iudices erunt ad Administro bonis cultus humani civilisque servandis et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Hi post iudicium scidulas resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias praeferant. Scripta non probata, si repetita, reddentur: sin minus, una cum scidulis obsignatis, tertio exacto mense post iudicium publicatum, delebuntur igne. Eodem temporis momento adulescentium scripta, quae auctores non repetiverint, igni committentur.

D. Roma Kal. Mai a. MDCCCCLXXXV ad V.c. MMDCCXXXVIII

ALOISIVS DE NARDIS

Praeses Instituti


BENE NUDAM PELLE!

Iamiam feriae aestivae iminent. Plerumque, dilectissimae lectrices, avetis corpora in litoribus sternere Tintanisque ad salutare exponere radios membraque quam diutissime in tepidis demergere undis. Tempus est vos omnes exuere gravia indumenta et nudam patere cutem. Multae quoque, venustissimae puellae Teutonicae et Sueticae et Gallicae, audebunt - quidnam vetat? - nuda fere corpora ostentare.

①



Ante saeculum XIXum viguit mos balneorum in aquis marinis. Primae deinde mulieres frequentare piscinas et litora coeperunt amplas bracas ad talos more turcico induentes, quibus fluxa superponebatur tunica. Niger placebat color. Post medium saeculum breviores fiunt bracae, quae numquam suras exsuperant, sed morum austeritas nimium immodestiae impedit.



Circa annum MDCCCCLXXXVum (nunc sunt centum anni) ecce bracae amplissimae (Theodisce: Knickerbockers) gunnae subpositae subque genua adstrictae, ut milites 'zuavi' solebant; laetiores tandem vigent colores, caeruleum et rubrum, dum iacca patagio exornatur 'nautarum more'. Ut ridiculae ineptaeque nobis feminae illius aetatis videntur, ut male in gurgitibus versabantur! Per annos qui prius bellum internationale praecedunt bracae follicantes obsolescunt et apparent curta femoralia (Anglice: shorts) ad patellas deducta, dum commoda tunica figuram cingit. Bello perfecto, ad annum MCMXXum e more exit hosa et apparet vestis balnearis maxime cuti adhaerens et una parte constans (Italice: costume monopezzo) quae, duabus taeniolis

retenta, corpus tegit a mammis ad inguina, sed brachia, femora et dorsum omnino nudat. Vae cruribus pilosis! Io io aëneum pigmentum! Libet artus mire teretes marmoreosque monstrare. Undis exeuntes, dominae pudice involvunt se sponseis gausapinis, molestos fallentes obtutus. Carae paucaeque cellulae lignae exstant. Ad annum MCMXXXVum oritur vestis nautica bipertita (zweiteiliger Badeanzug), cum ipsa unius partis optime adhuc resistat. Post annum MCMXLVum Franco-gallicus Aloisius Reard creat et denique vulgat in universum orbem vestem Bikinianam, qua etiamnunc, multis exactis annis, laetantur pleraeque ad aquas venientes. 'Bikini' nuncupatur atollus in Oceano Pacifico ubi prima experimenta atomica efficiuntur: nimirum 'bomba atomica' iudicatur huiusmodi exile tegmen, quod satius muliebri pectus et umbilicum exserat, exiguo mamillari parvoque constans subligari (slip).



Quae gratiae vobis concordibus semper agendaerunt optimo Reard qui tantam primus licentiam concessit! Novissimae res nondum finem

inveniunt. Post bikinianam ad annos LX venit in morem tenuissimum subligaculum (topless) parte superiore viduat: ecce (o mirum mirorum!) nudatae papillae et minimum 'perizoma' quod subtilissimae sustinent fasciolae. Anno MCMLXXIV^o apparet denique 'tanga', parvum triangulum e tela confectum satisque pudenda condens. Nullum frenum iam pendulas compescit mammas. Quod tamquam non sufficiat, en, ubicumque plausibus muliebribus acceptus, 'mini-tanga', cui nomen 'string', videlicet panniculus tam exiguus ut vix vixque imum pubem et inviolata feminarum penetralia umbret. Si adhuc casta verecundaque superest puella, tenuissimo 'thong' sit contenta taeniolisque contextis saltem papillas velet formosissimasque nates.



Nuditatis sic in limen pervenimus. Quod iam aliquot annos innumerae virgines matronaeque haud timent transire maribus sine ullo pudore in saeptis spatiis libentissime commixtae. Quam sole lymphaque pergaudent 'nudismum' colentes validae mulieres, praesertim in Germania et Anglia, quam iuvat Adami et Evae simplicissimum habitum in undis flavaque arena renovare! Opportune tempora nova venerunt tam floridae iuventuti!

Imagines

1. Bracae 'turcicae' cum tunica (a. MDCCCXXXIII^o)
2. Bracae follicantes (Knickerbockers, exeunte saec. XIX)
3. Vestis unius partis (a MCMXXX^o)
4. Vestis bikiniana (annis recentissimis)

Florindo Di Monaco



Facete lepideque dicta

Canis praepotens fidelissimus

Alter: "Habeo autem canem fidelissimum, qui nuper vitam mihi servavit memetipsumque e periculis imminetibus eripuit!"

Alter: "Quid ita? Quibus nam rebus, qua ratione, qua via, quo pacto rem bene prospereque gerere potuit?"

Alter: "Graviter aegrotavi per hebdomades tres atque animal illud fidele mihi que sinceriter deditum non sinit medicum ad lectum meum accedere!"

* * * * *

Medicum falsum consuluisti.

Medicus gynaecologus: "Ianuam falsam aperuisti, bone vir, nam egomet sum medicus morborum mulierum seu gynaecologus!"

Salutator: "Salutem tibi dico, nam ob eam rem ad tete nunc venio: verum enimvero doloribus inenarrabilibus crucior uxore mea!"

* * * * *

Res omnes secundum consuetudinem succedunt.

Secretaria principis (Chefsekretärin) aegrotata in nosocomio seu valetudinario in lecto iacet atque a collega seu socia operis salutem accipit. Angoribus pressa aegrotata sociam operis interrogat: "Quomodo res in officio scriptorio seu grapheo nostro omnino eveniunt, quid vobiscum agitur?" - Tum socia operis "Bono sies animo," inquit, "res omnes ut semper secundum consuetudinem prospere feliciterque se habent, omnia ex sententia procedunt, nam collega Helena fervefacit coffeam, Claudia porro acubus textit strictoriam laneam tuam seu thoracem laneum tuum (Pullover), collega Stephania aenigmata cruciata sive cruciverbia tua solvit - et egometipsa cum principe (Chef) officii ad concubitum me confero!"

AMICUS




Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
KALENDIS SEPTEMBRIBVS EST!

PRAEMIA SVNT : primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

ad libram

- | | |
|---|---|
| 1 oppidum ad Romam situm,
prope villam Hadrianam | 41 ad cenam pertinentes
(nom.pl.m.) |
| 6 signum quoddam orbis sig-
niferi (Gen.) | 44 iterum iterumque basiantis
(fem.) |
| 11 cursum aquae | 47 elementum, quod Anaximenes |
| 13 cognomen Veneris deae
(Acc.) | philosophus principium om-
nium rerum putabat |
| 15 unus collium Romae (Acc.) | 48 animalis nomen, quo puella
blande appellatur |
| 17 arbores altae terrarum me-
ridianarum propriae
(Dat.pl.) | 51 Romanus quidam, cuius no-
mine praecepta rerum co-
quinarum tradita sunt |
| 19 favens vel propitia | 52 parvo flumine |
| 20 oppidum Galliae, clarum
propter Caesarem | 54 migrando (Abl.) |
| 22 reditus (Gen.) | 55 reddam |
| 24 gens Romana, ex qua Trai-
anus Caesar ortus est | 57 tabernae, in quibus vinum
bibere potest |
| 26 princeps Graecus, qui sum-
mum imperium belli Troiani
obtinuit | 60 cibum praebe! |
| 29 vestimentis exuta | 61 mortuorum animae passim
inquietae vagantes (Gen.) |
| 30 accesseras | 62 poetae saepe oculos sic
nominant |
| 32 ad me vocem benigne re-
cepturus | 63 ligno aedificat |
| 35 unum annum durans | 65 in aqua versatur |
| 37 nomen cuiusdam Caesaris
Romani (breviter) | 67 civis cuiusdam nationis
Galliae Lugdunensis (Dat.) |
| 38 fulcor in aliqua re | 68 pronomen demonstrativum
Latinum (Acc.) |
| 40 mendicus Ithacus ab Ulixo
victus (Dat.) | 70 immodici (ii=i) |
| | 71 coniugio |



73 eleganter vel bene compo- site	111 ex loris constantia
75 ex metallo pretioso facta	112 urbs apud pontum Euxinum sita
76 scriba Ciceronis	114 puella, quae in caupona convivas curat
78 ad frutices spinosos, qui bacas caeruleas ferunt, pertinentes (Acc.m.)	116 volucres atrae Apollinis sacrae (Acc.)
79 lecto	117 omnia rettulistis
81 pars domus Romanae (Acc.)	118 breviter: tribunus
82 in hymenaeis vocatur	119 in unum componet
86 ...Magna (Abl.): patria Septimi Severi Caesaris	120 operam eorum hominum, qui vestes faciunt, exegi
87 gubernator et poeta Grae- cus, qui olim Atheniesi- bus novas leges dedit	121 Minervae deae thorax Gor- gone ornatus
88 ad oras lacuum crescit	122 gemma quaedam
90 mane cenat	125 consecremus
91 rogationem vel preces	127 atque
93 orientalem	128 prudens vel nara
95 Catullus poeta carmina sua hoc nomine appellavit	131 patris parentum
97 metui	132 una (Graece)
99 effodi	133 socia carissima
101 ventus quidam (Gen.)	134 oppidum in fines Helve- tiorum ad lacum amoenum situm (Dat.)
102 animal reptile testa qua- si 'domo' praeditum	136 oneribus afficiunt
106 ope vel divitiis	137 statui
107 una Harpyiarum	138 mater Achillis (Abl.)
109 induta	139 contemplem (Latine vetus- tius)

ad perpendicularum


1 fluvius apud Sarmates in pontum Euxinum influens (Abl.)	6 imago (Graece)
2 ingredi	7 mensis Veneris deae sacer (Dat.)
3 arboribus vel fruticibus fertur	8 flammabit
4 eiulat	9 indicium laetitiae et gau- dii monstravi
5 poena, qua Ovidius poeta ab Augusto Caesare affec- tus est	10 coniunx perfidus Medae (Dat.)
	11 regio Italiae prope Romam sita

12 dea, qua adiutrice poetae opera componunt	62 mitigent
13 coniunctio Latina	64 contrarium verbi "laxari"
14 contrarium magnitudinis (Acc.pl.)	66 defensorem vel patronum
15 ex illa parte	69 non abeo
16 femina, quae in scaenam prodit	72 exclamatio ad affirman- dum, qua feminae utuntur
17 initium omnium rerum ges- tarum (Abl.)	73 in lecto iacuit
18 olim nautis cursum noctu demonstrabat (Abl.)	74 puer ales (nomen Graecum)
19 ventus mitis	75 amplificata
21 domui	77 incepto
22 ad gentem Graecorum perti- nentis (Gen.f.)	78 lente ambulet
23 insula Graeca (Dat.)	80 rex Locridis, cuius fi- lius Troia expugnata Cas- sandræ ad statuam Miner- væ deae violavit et a deis punitus in mari periit. (Gen.)
25 signum quoddam orbis sig- nificari (Dat.)	81 quae semel exstat (Latine vetustius)
27 unus ex iudicibus apud inferos	83 alis praedito
28 e lana fila efficiens	84 frux dulcis, quae sociis Ulixis oblivionem patriae iniecit (Gen.)
31 animum confirmaretis	85 opus gallinae (Dat.)
33 scapha	86 scripta cognoscitote
34 gratiae vel concessioni	87 sonitus ediderat
36 mamma	89 sensus, quo musica vel voces sentiuntur (Abl.)
39 vi abduci	90 fidem iure iurando affir- maverant
42 apti	92 retardationibus
43 accusator vel advocatus	94 blande et dulciter tangis
45 liquidum consumant	95 educatore
46 coniunctio Latina	96 quae duarum?
49 parvo litori	98 reficiet
50 praenomen Latinum (Acc.)	100 rex Troiae (Dat.)
53 aut	101 dea Celtica, equorum do- mina (Acc.)
55 deus Aegyptiorum, qui apud Romanos "Sol" nominatur	103 locus prope Athenas cele- berrimus Cereris deae mysteriis (Dat.)
56 incola cuiusdam urbis Si- culae (Acc.)	104 auribus cernuntur
58 quid augur prospectet	
59 aliquae inferiores quam illae non inveniuntur (Acc.)	

- 105 praebere
 107 caro, quae torrendo ad
 cenandum paratur (Gen.)
 108 electo
 109 instrumentum ad suendum
 aptum
 110 nummus Romanus
 112 animal volandi peritum
 (Gen.)
 113 confunde!
 115 amore flagravi
 120 accipiat
 123 volucer piscibus vescens
 et ad flumina lacusque
 vitam degens
- 124 alimentum omnibus fere
 hominibus notum (Dat.)
 126 regio, quae piscibus ha-
 bitatur
 127 pronomen demonstrativum
 Latinum
 129 ibidem (breviter)
 130 aedificium ab imperatori-
 bus victoribus construc-
 tum (Abl.)
 135 vultu

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann



SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in
 RVMORE VARIO 5+6/85 propo-
 suimus, hic demonstrantur:

Qe


¹ A	² S	³ S	⁴ I
² S	U	I	T
³ S	I	N	U
⁴ I	T	U	S

Sententia mira caliphae

Urbe autem Alexandria ad Aegyptum anno 642^o post Christum
 natum ab Arabis tandem expugnata Amruus filius Aassi
 (Arabice: Amr ibn al-As), 575-664, Arabum dux generalis
 copiarum, vulgo narratur fama ad Omarum I^m filium Chattabi
 (Arabice: Omar ibn al Chattab), 592-644, calipham (Arabice:
 chalifa = vicarius seu successor (scil. prophetae), dominum
 omnium fidelium (Arabice: Amir al Muminin), cognomine
 Acutum (Arabice: al Faruk) adpellatum, misisse nuntios, qui
 rogarent, quid de celeberrima atque singulari, quae ibi
 esset, bibliotheca (cum 900 000 fere tomorum librorum!)
 fieri vellet, rogantibusque Omarum ferunt respondisse, si
 libri illi in hac bibliotheca exstantes accurate cum Corano
 (Arabice: al Kuran = opus recitationis) **consentirent**,
 penitus inutiles eos videri neque opus esse eos porro
 asservari, **sin minus illi consentirent** cum praescriptis
 Corani, noxios perniciososque eos esse atque sine ulla mora
 delendos extinguendosque. (Sed opus est de hac re confiteri
 clarissimae illius bibliothecae a Ptolemaio II^o Philadelpho
 (283-246 a.Ch.n.) diligenter collectae iam illo bello
 ominoso Alexandrino, quod Gaius Iulius Caesar in Aegypto
 gessit, multo maiorem partem flammis anno 47^o a.Ch.n.
 absumptam fuisse).

AMICUS

Bonum adpetitum (bonam adpeti-
 tionem) optamus!



Facete lepideque dicta

Mariti (viri) inter se

Alter: "Sorte autem mea, quod ad conubium meum attinet, plane contentus sum. Taedium vitae iam me tenuit camisiarum subucularumque illotarum, ientaculorum prandiorumque cenarumque omni sapore carentium, cubiculorum pessime supellectilibus instructorum sine omni commoditate!"

Alter: "Incredibile quantum, nam egomet ob eam rem divortium feci cum uxore!"

* * * * *

Errare humanum est...

Maritus aegrotae: "Medice mi, veni extemp(u)lo, quaeso, nam uxor mea doloribus laborat incredibilibus in latere dextro abdominis. Id autem inflammationem appendicis vermiformis intestini caeci esse arbitror!"

Medicus: "Nugas ineptiasque agis, nam iam anno pristino uxori tuae appendicem vermiformem exemi et sane quidem nemo secundam habet appendicem!"

Maritus aegrotae: "Id fieri potest, sed nihilo minus vir secundam habere potest uxorem!"

* * * * *

Et tute mihi itidem...

Milionarius medicum salutatur verbis his: "Tute autem, medice mi optume, summa mihi spes nunc es in diebus meis ultimis in senectute!" Tum medicus: "Gratias," inquit, "tibi ago ineffabiles, tutemet mihi etiam itidem!"

AMICUS



Litterae ad legentes

DE SCHOLA, CVI NOMEN AKAD, ET DE EXAMINIBVS MATVRITATIS

Placidi legentes

Eo tempore, quo Turici scholam, cui nomen AKAD (1), frequentabam, a discipulis scholas publicas frequentantibus saepe interrogabar, quomodo in AKADe disciplinis variis studeremus vel quid oporteret discere ad examina maturitatis confoederatione Helvetica instituta successu subeunda. Postquam cuncta examina maturitatis feliciter successu coronata subii, stat per me de his rebus pauca scribere.

"Nonne difficile est omnia domi secum discere?" quaerebant, qui nomininis "Fernkurs" causa putabant rationem erudiendi, qua schola AKAD utatur, esse nihil nisi commercium litterarum inter scholam et eius discipulos cursu postali habitum. En errant, cari legentes, qui ita censent! Studiosorum enim eruditio in utraque sectione, quae in AKADe ad maturitatis examina ducit (quarum altera Teodisce "Matura-Abteilung für Berufstätige", altera "Tagesschule" appellatur), partim colloquiis inter discipulos et magistros, partim litteris inter discipulos et magistros vicissim remissis efficitur. Cum discipuli utriusque sectionis primum domi pensis cursu postali missis, deinde in schola ipsa Turici sita magistris adiuvantibus se exerceant, tamen duae sectiones inter se valde differunt. Sectio prima enim, quae est "Matura-Abteilung für Berufstätige", maxime idonea est his studiosis, quibus propter necessitatem pecuniae merendae artificium vel professionem scholae frequentandae intermittere non licet vel his, quibus regiones a schola remotas habitantibus propter familiam suam curandam iter cottidianum in scholam faciendum nimis longum molestumque esset. - Adelaida, tu mater sapiens trium filiarum iam

adularum, quae e pago Raetico accesseras, vel tu, Antoni, qui e valle Poenina, vel tu, Ricarde, qui ex urbe Basilia veniebas, cum per totam septimanam in aliquo officio laborares pater liberorum parvorum, et vos, cari amici commilitonesque mei in pagis varissimis habitantes: Vobis gratulor, quod magno successu coronati victores ex examibus maturitatis abistis!

Condicionibus, quas dixi, regnantibus sectio prima AKADis sine dubio secundae, quae "Tagesschule" nominata gymnasio publico comparetur, praeferenda est: In prima sectione enim studiosi, dum primos duos annos studiis versantur, semper domi pensis forma libellorum sibi schola missis docentur et menstruae opera ad haec pensa referentia scripta magistris in scholam mittunt corrigenda. Tempore uniuscuiusque semestri perfecto autem ea, quae adhuc domi didicerunt, in schola Turici examinibus interpositis examinantur et censentur. Ubi autem tempus advenit, quo tempore sunt semestri quinto vel sexto inscripti, omni septimana unum diem, semestre septimo (quod est finale) etiam duos dies in septimanam in schola Turici degunt, ubi a magistris peritis, qui et in sectione secunda docent, erudiuntur.

Aliter res se habent in sectione secunda (Tagesschule): Quam ii studiosi intrare possunt, qui VI, XII, XVIII vel XXIV menses domi litteris studentes peregerunt. Hic cottidie IV vel V horas peragunt imprimis ii, qui ea, quae domi pensis didicerunt, magistro duce et observatore exercere et eo memoriae celerius tradere volunt. Parvas turmas insidentes, qui velint, usque ad examina maturitatis conducuntur. Quorum primum quinto, secundum sive ultimum sexto semestre peracto subeunt. Examina maturitatis hac sectione secunda petere est modus imprimis iis idoneus, qui aut prope aedem AKADis habitant aut qui paucis modo muneribus familiaribus vel officialibus onerati sunt aut iis, qui sive stipendiis publicis sive pecunia parentum offerta in studiis adiuvantur.

Nonnumquam audivi voces aliquam scholam publicam Helveticam frequentantium, quae miratae clamavere: "Quid? In AKADe cottidie quattuor vel quinque horas litteris studendum? At nobis septem vel octo horas!" His autem respondebam: "Haud

ita, ut censetis, cari amici! Nam "Akadensibus" secundum genus, quo in AKADe edocemur, omnia discenda prius domi praelegenda sunt quam in schola a magistris tractantur. Insuper multis laboribus non libellis tractandis, sed a magistris nobis impositis per litteras respondere oportet. Ergo cuncti "libelli virides" (sic nominantur unius pensis mensualis libelli propter eorum involucrum viridicoloratum), quorum permulti sunt, domi legendi sunt; in his cunctae disciplinae discendae inveniuntur praeclare descripta, quae magister in schola altius perquirat. Magistri autem in schola de rebus a studiosis iam domi lectis interrogentur; ita nos non modo disciplinis exercent, sed etiam ea explicant, quae nobis adhuc difficile intellectum esse videntur. Examina quoque ad scientiam et ad inscientiam discipulorum in rebus ad examina successu subeunda necessariis a magistris instituuntur. Vae! Quamvis utilia sint haec testimonia laborum nostrorum, tamen crebritas, qua haec examina lectionibus a magistris datis intermittuntur, interdum deploratur ab iis, quos valde dolet, quod his examinibus saepe intermissis tempus ad materias amplas profundius penetrandas aliquanto diminuitur. Quod autem haud facile prohibetur; nam semper memores simus temporis brevis, quo animos ad examina maturitatis praeparemus! Quae brevitatis ipsa temporis dati necessitatem examen a magistris crebro habitorem imponit; ea ipsa est, qua sine mora litteris studere cogimur. Praeterea nonne plurima discimus ex erroribus, quos fecimus, quos factos vitandosque magistri nobis demonstrant? Licet ergo nos errores committere, nam commissis mendis quoque praeparatur ad examina maturitatis, in quibus eadem haud committemus iterum."

Examina maturitatis, cum sint lege publica, publico iussu instituta, extra scholam AKADem habentur in aedibus universitatis Helveticae. Quorum sessio prima - sunt enim duobus sessionibus se sequentibus subeunda - discipulis utriusque sectionis AKADis post quintum semestre constituta est. Dum manet, quinque artes examinantur: biologia, chymia, geographia, historia, pictura. Memorandum est, quod notationes, quas studiosi adhuc in schola a magistris acceperunt, in examinibus maturitatis non iam respiciuntur; immo secundum illud pernotum: "Hic Rhodus, hic salta!" examinatur,


notationes eadem ratione tribuuntur. Examinandis ita quasi manibus inanibus, sed capite scientiarum pleno in examina succedendum est in eam urbem Helveticam, cuius universitatis aedes examinibus habendis constituta est. Examina utriusque sessionis bis in annum, i.e. vere et autumno, habentur. Urbes quattuor in examinibus variant Berna, Basilia, Fanum Sancti Galli, Turicum.

Examina maturitatis finalia sunt sessione secunda subeunda. Quae a studiosis primae AKADis sectionis XII, secundae sectionis VI menses post prima habita subeunda sunt. Scientiae in iis probandae sunt mathematicae res, doctrina de rebus naturae (Physik), linguae et modernae et antiquae; cunctae et oraliter et litteris scribendis examinatae. Decet me hoc relatu aliqua de examinibus Latinis referre: Opera Caesaris, Ciceronis, Livii, Taciti translationibus scribendis adhibentur. Quem eorum vos antetulissetis? Ciceronem carissimum habere confiteor, quamvis interdum nimis gloriari videtur. Eratne fositan antiquorum, quandam admirationem eius proponere? Licet fuerit gloriae avidus, licet non fuerit: Pars operis eius nobis ab examinitoribus Turicensibus in linguam Germanorum vertenda data est. In examine autem linguae Latinae nobis respondendum erat versibus MCCC prudenter ante praeparatis Horatii (ex eius saturis, carminibus, epodis), Ovidii (ex eius metamorphosis), Vergilii (DC eius versibus contextis ex Aeneide). Liceat igitur finire duobus versibus Horatii:

"Iam satis est; ne me Crispini scrinia lippi
compilasse putes, verbum non amplius addam."

Ursula Schwenk

- 1) nomen contractum pro pleno
"Akademikergesellschaft für Erwachsenenfortbildung AG"



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIUS)


SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIUS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIUS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



AZ

8050 Zürich

7+8/85

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXXV



RVMOR VARIUS



Rumor Varius
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

TOMUS 8

FASC. 54